



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 116. Et iterum negavit. v. 72.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

gratiam quam maxime, o Deus meus, ut semel relictis & spretis omnibus, te nudum nudus sequar Christum, & mente & corpore, nulli creaturæ, sed tibi soli adhærendo in æternum.

§. 115. *Et hic erat cum Iesu Nazareno. v. 71.*

Hæc verba sunt Petrum proidentis militibus & ministris qui in atrio aut Petrum non noverant, aut si noverant, eum prodere aut tenere non curabant, etiam si vidissent in horro cum Christo & amputantem auriculam Malchi, vel ob ejus visam magnanimitatem, vel ob venerabilem ejus senectutem vel miraculum patratum ad restitutionem auriculæ, vel certe occulta vi impediabantur à Domino, qui eo tempore solus voluit pati, & ceteros esse immunes, ne consortes in redemptione habuisse posset ullus suspicari, si quispiam fidelium secum pareretur venit ergo procax ancilla, ut vidit, statimque prodit, dicens: *Et hic cum Iesu Nazareno erat*, quasi diceret. o milites ignavi & infideles, videtis hunc vobiscum conversantem & stantem in atrio discipulum & amicum Christi exploratorem, & eum finitis illæsum abire; cur eum non apprehenditis, ligatis & examinatis & Concilio traditis cum Domino suo? die sodes petulans mulier? quid tibi male fecit innocens hic senex Petrus stando in atrio, non te in minimo impedit, cur invides libertatem & miserabilem stationem? cur eam ei auferre conaris accusando sic ut capiatur?

**D**omine scio quantum peccatū sit garrula dicacitas atq; invidia, per invidiam enim moysi intravit in mundum, serpente no ferente gloriam & libertatem illam Adæ primi nostri parentis, & ideo illum decipiente, per mulierem, ut eijceretur è paradiso, & maneret eius captivus, donec Christus veniens eriperet eum, & restitueret ei libertatem. annon & hic bonus senex quoque serpentis stygii instinctu ex invidia per mulierem decipitur, & libertatem conscientia suæ perdidit donec Christus eum aspexit, & ille peccatum dessevit, pœnitendo. vere invidia peccatum diabolicum est, vere grande etiam malum est importuna garriendi & dicendi cupiditas. quanta ex hoc vitio damna? S. Iacobus optimè malum hoc penetravit. Verba eius in promptu sunt, & experientia veritatis eorum quotidie ante oculos nostros versatur. Domine Iesu libertatis author fons & origo bonitatis, quia Invidia tam enorme peccatum est, ut potius diabolicum dicatur quam humanum, concede hanc mihi gratiam ut nunquam hoc peccatum committam, sed & per admirabile silentium tuum, da mihi oro abstinentiam & cautelam in loquendo.

§. 116. *Et iterum negavit. v. 72.*

Ecce quomodo occasio non vitata rursus peccatum pariat: Velenim  
exive-

exiverat iam Petrus ante atrium post primam negationem, & iterum regressus erat vel adhuc itabat cum iterum tentatus est, & iterum negavit: hinc clamat Ieremias cap. 51. *Fugite de medio Babylonis & salvet unusquisque animam suam.* & S. Bern. serm. 3. de Conversione ad clericos quid ni periclitetur castitas in delictis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc saeculo nequam. *fugite de medio Babylonis, fugite & salvate animas vestras.*

Heu quam multi similes Petro, qui licet experti sint lapsum, in eodem tamen lubrico, & super glacie eadem nihilominus pueriliter rursus regrediuntur in eandem miseriam, & quæ ipsos non infestat domi, foris quærunt, ruinam.

**H**eu miseri! & ego peccator Confiteor Deo Patri Omnipotenti & dilecto eius filio Iesu Christo nostro redemptori, nec non B. Mariæ Virgini Dei genitrici, S. Petro & omnibus cælestibus, Confiteor ex toto corde meo, me Petrum secutum per varia peccata recidendo, quæ sic in carne mea cumulata sunt, quemadmodum arena in littore maris, & quemadmodum onus grave gravata sunt super me! de his omnibus admissis vehementer doleo, eorumque ex toto corde pœnitent: sicut ergo lecatas fui Petrum errantem, sequar & pœnitentem per intercessionem eiusdem S. Petri, sanctorumque omnium pœnitentium in cælo, obsecro domine, adiuva infirmitatem meam.

§. 117. Cum iuramento. v. 72.

Nec satis erat mentitum fuisse Petrum se nescire Christum, & negasse simpliciter Dominum suum, sed superaddit cum iuramento non fuisse cum Iesu Nazareno, & hoc ad unius ancillæ vilis interrogationem? at obsecro quis instigavit duas hæc ancillas, ut ita Petrum interrogarent, variè exagitarent & tentarent, ut omnino à Iesu deficeret vir tantopere cordatus? Dæmon, Dæmon, iuxta verbum Iesu, Luc. 22. Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, & profecto cribravit discipulos Christi, & modo adhuc cribrat, in Hollandia, Anglia, Scoria, Iaponia, aliisque infidelium regnis, uti ostendunt Martyria & Edicta contra Catholicos usitata, sed & hæc sunt hora est potestas tenebrarum.

**O** Petre, Petre quantum tibi nocet visum fuisse ab ancillis & audisse loquentes, à quot singulis & calidissimis lacrimis liber fuisses si eas nunquam vidisses: ô quantum tibi constitit ancillas audisse & eis respondisse: an non ergo merito ab his infirmiores Petro sibi timere debent? quando illud caput Ecclesiæ Dei, & petram ipsam & basim convellere dæmon annis est per ancillas, sed & ante & post ipsum. O quot milia hominum fecidavit & in pericula præcipitavit! Hoc est rete internalis piscatoris. Et tamen Quinti Evangelij præco Reformator Ecclesiæ ausus fuit scribere; Si